

SCRIPTA

Numéro Scripta : 7525

Auteur(s) : Évreux (official)

Bénéficiaire(s) : Geoffroy II, La Vieille-Lyre, Notre-Dame de Lyre (abbé)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1247, 10 mai

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Bail, pour 12 ans, de la terre des moines de Lire, à la Barre (canton de Beaumesnil).

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Delisle Léopold, *Études sur la condition de la classe agricole et l'état de l'agriculture en Normandie au Moyen Âge*, Évreux, Hérissey, 1851, Appendice VII, p. 657-658 (« 667-668 » : pagination incorrecte).

Dissertation critique

« G., humilis abbas Lire » : Geoffroy II ou Gilbert II

Texte établi d'après a

Universis presentes litteras inspecturis, officialis Ebroicensis, salutem in Domino. Noveritis quod, in nostra presentia constituti, G., humilis abbas Lire, et conventus ejusdem loci, per baillivum eorumdem, procuratorem suum, ex una parte, et magister Rogerus dictus Malpoint, ex altera, recognoverunt se tradidisse dicto magistro R. Malpoint ad firmam usque ad duodecim annos manerium quod habent apud Barram, cum domibus ibi edificatis, et terris quas habent ad dictum manerium pertinentibus, et totam decimam cujuslibet bladi quam percipere consueverunt tempore Willelmi defuncti, quondam rectoris ecclesie de Barra, pro septem modiis bladi annuatim ad mensuram garnerii sui persolvendis, scilicet duobus modiis frumenti, vel pisorum (si voluerint ea capere pro frumento), et duobus modiis grossi bladi, et tribus modiis avene vel ordei. Et illorum quatuor modiorum bladi debet persolvere eis duos modios infra octabas Sancti Andree, et alios duos modios infra Cineres ; et dictos tres modios avene vel ordei debet persolvere infra octabas Pasche. Dictus vero R. Malpoint tenetur eis dictum manerium et domos in bono statu conservare usque ad terminum supradictum, et debet reddere terras in eo statu in quo cepit eas, videlicet octo acras terre garatate, et marnam ad marnandum sex acras ex illis octo, et dimidiam acram terre ordeate, et duas acras terre garatate quibus marna non suffecerit, et novem acras terre ad faciendam avenam. Et cepit dictus p. ab eis quatuor vaceas apreciatas ad valorem sexaginta solidorum et decem turonensium. Ad solutionem vero predictorum bladum predictis terminis eis plenarie faciendam, predictus R. se et sua, ubicumque fuerint, eis obligavit, ita quod, si in alicujus solutione debitis terminis ipsum deficere contigerit, bona ipsius in manu sua capere et sine contradictione dicti R. vendere poterunt usque ad solutionem sibi plenarie faciendam. Et, si dictus R. contra hoc venire presumpserit, ipsum dicta firma poterunt privare. In cujus rei testimonium, ad petitionem ipsorum, videlicet abbatis et conventus et dicti R., sigillum curie Ebroicensis apposuimus. Datum anno Domini m^o cc^o quadragesimo septimo, in crastino Ascensionis Domini.